



INDEX
ALPHABETIC⁷ materialium.

A.

De
Actione Publiciana in rem. 2.
Actionum sive iurium cessi-
one. 7.
Actionum concursu. 14.
Actione fastitoria. 15.
Arratione. 16.
Analysie L. Quing pedum
s. c. fin. reg. 49.

B.

Bona vel mala fide. 4.

C.

Cessione iurium sive actionum
coemittentium iure. 11. 7.
Concursu actionum 14
Conductione et Locatione. 19.
Culpa. 36.
Consule Romano. 45.
Corpore cecchi et fluxu
sanguinis. 52.
Citazione. 13.

D.

Divisionem veram iuris
in. re. 1.

De Deposito, Sequestratione, et obli-
gationibz in genere. 5.

Deposito. 21.

Dot. 25.

Dys Romanorum Tutelaribz. 51.

Damne infecto L. Si finita is
Par. Juliang 16. 48

E.

Extra domum percontatione. 10.
Emptione et venditione 17
Empyzeali. 20.

F.

Fide bona et mala. 4

Famosis incendiarijs. 12.

Fictione. 33.

Fluxu sanguinis et Corpore oc-
cisi. 52.

G.

H.

J.
De. jure occupationem. 3.
juri sine actionum Cestione. 7.
institoria Actione. 15.
jussa superiorum retractu
vicinitatis. 18
judicialibus Probationibus
23.
interdicto Salviano. 30.
jura Postumorum et vel
maxime L. Gallus 29. ff. de
Lib. et Post. 31.
inducijs triennalibus
42.
incesto. 44.
insignibus. 46.
insignibus Principatus. 47.
jure cemeteriorum. 11.
incendiarijs famosis. 12

L.
Legitima Parentum. 28.
Locatione et Conductione. 19.
Lex Sifinica vs. Par. Julij
ang 16. ff. de damno infedo
ad L. Aquiliam. 8. 48.

M.
De Mala et bona fide. 4.
Matteo universitatum. 6.

N.
Nemo Scorteo. 50.

O.
Obligationibus in genere et deponi
sito et sequestratione. 5.
Osculis. 24.

P.
Publiciana in rem actione. 2.
Perjurio. 9.
Per noctatione extra domum
Probationibus preteritum judicialibus. 10.
23.

Postumorum jura et vel
maxime Leg. Gallus 29. ff. de
Lib. et Post.

Privilegio. 40.
Principatus Insignibus. 47.
Pignore. 22.

De ^{Q.} Quinquennialibus Inducijs. 42.

R.

Retractu Vicinitatis. 18.

Retortione. 39.

Romano Consule. 45.

S.

Ad S. Vellejanum. 27.

Salvatio Interdicto. 30.

Spe. 32.

Salvo Conducto. 41.

Solutio Pupillis ac Minoribus et
ab ipso tuto Facienda. 26.

T.

Tacite hereditate. 34.


Transmissione. 29.

Titulo. 37.

Traditione. 38.

Tutelaribus Vjs Romanorum
51.

De ^{U.} Universalium mutuo. 6.
Veram Divisionem juris in
re. 1.



ii

Jesu Salvatore Annuente

&

Nobilissimo Jctorum Ordine
consentiente

de

J U R E

COEMITERIORUM

P R Æ S I D E

FRIDR. GEISLERO, Reussendorff-Silesio

Phil. & J. U. D. Major. Princip. Coll. Collegiatio
& p. t. Præposito

Præceptore officiosè redamando,

publicè

die 14. Octobr. 1669.

H. L. Q. C.

disputabit

JOHANNES Schreiter Annæmont. Misn.

Autor & Respondens.

L I P S I Æ

Typis JOHANNIS GEORGI.

17

Nobilissimo Hertzog Ordine
Cameracensi
J. W. R. E.
COMITIBUS
FRATRES
JOHANNES





I.

Monitum Jcti est in l. 1. pr. ff. de reb. credit. ut, antequam accessus fiat ad rem ipsam, accuratè Nominis consideratio præmittatur. Exemplum hujus moniti extat in l. 1. pr. ff. de J. & J. ubi Ulpianus dicit: Juri operam daturus nosse debet unde Nomen Juris descendat.

Qvis itaq; iniq; feret, si illius moniti memores, quædam de ipso Cœmiterii VOCABULO, unde scilicet dimanet, quibusve Aliàs vocabulis veniat, præmiserimus?

II.

Deducimus Cœmiterium à vocabulo Græco κοιμάομαι cubo dormiendi gratia, reclino me ad capiendum somnum: Quidam exponunt etiam, dormio obdormio uti Hom. Iliad. Æ. vers. 241.

ὡς ὁ μὲν αὖτις πεσών, κοιμήσατο χαλκεον ὕπνον.
Statim ut huc cecidit, dormiuit ferreum somnum.

Significat etiam idem ac morior, unde κεκοιμημένοι apud Areopagitam mortui dicuntur. Vide Petr. Greg: Tholos. in Synt. jur. Universi lib. 2. c. 13. n. 1. & Scapul. in Lexico sub κοιμάω.

Cœmiterium igitur idem est ac locus, in quo dormitur, seu locus, in quo humata jacent mortuorum corpora. Athen. lib. 4.

III.

Vocabulum vicarium cœmiterii apud LATINOS potest esse τὸ Dormitorium: Quia mortui nostri dormiunt, certi, se aliquando esse resurrecturos ad diem judicii. 1. Thess. 4, vers. 14. c. aurum 70. c. 12. qu. 2. Carpzov. Jurispr. Consist. lib. 2. def. 385. n. 8. consentiunt Uxoris Magistri glosse ad Aurel. Prudentij cathemerinon hymn. 10. v. 53. pag. 784. ubi tamen non legitur τὸ cœmiterium sed cœmiterium.

GERMANICE dicitur ein Kirchhoff, Schiaffhaus, Gottes

DE JURE

Acter/in quo scilicet corpora piorum veluti grana quaedam in spem
futuræ messis seminantur. 1. Cor. 15, v. 35. Joh. 12, v. 24.

IV.

Ex quo clarescit, NOSTRUM cœmeterium non esse confun-
dendum cum cœmeterio CRETENSIUM. Nam Dosiadas apud Athe-
næum lib. 4. Deipnosoph. c. 9. p. 143. dicit: Crete ubiq; destinata esse convi-
viis cœnacula duo: alterum ἀνδρείον nuncupatum; alterum in quod
dormitum mittunt hospites, κοιμητήριον.

Et hinc nostra cœmeteria deducta putat Petrus Victorius. lib. 4.
var. lect. Cum utiqvè piorum mors nihil aliud sit, quam

Dulcis & alta quies placidoq; simillima somno,
uti loquitur ex scripturæ dictis Wolfgang. Heiderus in polit. c. 4. p. 624.

Sæpè etiam Cœmeterii vox innuit locum mortiferum &
cladibus infamem. Quemadmodum Hungaria vocatur Germa-
norum cœmeterium. G. Hornij orb. polit. Parte 1. de Imperio Rom-Germ.
th. 11. §. 7. p. 17. & D. Johannes Geiler Cæsarisbergius, conciona-
tor Argentoratensis regnum Neapoleos & Siciliae vocavit Gallo-
rum cœmeteriam. Zinogr. apophth. parte 1. p. 162. Sed hunc signifi-
catum etiam removemus, contenti eo qui in Th. 3. innuitur & in
Th. 7. stabilitur.

V.

Antequam ad περὶ γυμνασίου accingimur, hanc Quæstio-
nem ventilabimus AN CADAVERA MORTUORUM HOMI-
NUM SINT SEPELIENDA? & Affirmativam svadent sequentia:

I. Quia indignum est, ut, cum Homo præstet cœteris ani-
mantibus, illisq; ab ipso Deo sit præpositus tanquam Dominus Ge-
nes. 1, v. 28. corpore ejus animalia bruta pascerentur.

Exinde judicetur de more Hyrcanorum, apud quos quisq; si-
bi parabat canes (qui sepulchrales dicti sunt) ut postea ab illis la-
niaretur. Atq; hoc eximium & solenne putabant funus. Alex. ab
Alex. genial. dier. lib. 3. c. 2. His similes fuerunt Indi & Massagetæ,
qui senio confectos in frustra cæciderunt illorumq; carnibus (im-
mistis prius belluis) vesci assueverunt; si quis morbo correptus
decede-

COEMITĒRIORUM.

decederet, illum ut impium abjecerunt dignumq; ut à feris devoraretur. *Aene Sylvij hist. de secunda Asia parte. c. 12.*

II. Quia Reipubl. interest, ne cadavera insepulta maneant. Tempore belli quot millia hominum pereunt? si itaq; non sepelirentur, tunc corrupto cœli tractu letiferi dies multis millibus sanis hominibus extorquerent animas, & sic paucorum mensium intervallo excitata pestilentia civibus urbes viduaret, ingentesq; solitudines induceret. Seneca hujus rei memor sic scribit: non Defunctorum causa, sed Vivorum inventa est sepultura, ut corpora & visus & odere fœda submoverentur.

III. Quia gravissima Poenæ loco est, quando Deus invisus sibi Regibus per Prophetas minatur a fini sepulturam. *Jerem. 22. v. 19.* item ut canes eorum sanguinem lingant *1. Reg. 21. v. 19. 2. Reg. 9. v. 36.* & devorent corpora *1. Reg. 15. v. 38. Jerem. 16. v. 4. C. 19. v. 7. C. 34. v. 20. 1. Reg. 14. v. 11.* sicq; insepulti maneant. *Es. 14. v. 20.*

VI.

Sed IN QVONAM ELEMENTO CADAVERA SINT CONSUMENDA, gentes non conveniunt:

I. Quædam putant corpus humanum IGNI immittendum esse, ex hac ratione, quia Ignis omnium naturalium rerum solum & verum principium est, eò quod omnes res creatæ, sequendo sphæricum motum, debeant in fine ad suum principium redire.

Huic sententiæ applausum dedit Heraclitus Phil. *Besold. de sepult. c. 1.* Romani corpora mortuorum per longum tempus cremaverunt; postea verò ex instituto Thaletis Milesii (qui pro principio omnium habuit Aquam *uti est apud Diog. Laertium lib. 1. c. 1. p. 18. a.*) hic mos abrogatus est, & corpora deinde humo condere coeperunt. Carthaginenses etiam à Dario admoniti igni corpora tradiderunt. *plura videri possunt apud Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 3. c. 2.*

II. Quædam gentes corpora mortuorum MARI tradenda esse censuerunt. Lothophagi defunctos in mare dejiciebant; parum referre arbitrati, igne ne an terrâ vel Aquâ dissolverentur

DE JURE

Assyrii cadavera Regum in paludibus condiderunt; Arabes Regum & summorum ducum cadavera in tetrīs & incultis locis stercore obruerunt. *Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 3. c. 2.*

III. Christianis satis constat non ex igne neq; ex aquâ, sed ex TERRA summum Opificem corpora nostra formasse, & consequenter (etiam secundum regulam Heracliti) in terram reverti debere. Ipse Deus dicit & edicit: Terra es & in terram revertaris *Gen. 3. v. 19. & Eccles. 12. v. 7*: pulvis quidem ad terram redit, qualis fuerat; Spiritus vero ad Deum.

Et hunc humani modum etiam Ethnici observarunt, putâ Ægyptii, Athenienses, Syri, multiq; alii, uti patescit ex *Alex. ab Alex. loc. cit.*

Redditur itaq; Terræ corpus & ita locatum quasi operimento matris obducitur. *Cic. de Legib. lib. 2. §. 56.* Assentitur Innocent. III. Pontifex *lib. 3. de miser. hom. c. 1*: homo mortuus hereditabit bestias, serpentes & vermes. Omnes enim in pulvere terræ dormient & vermes operient eos. Sicut vestimentum, sic comedet eos vermis; & sicut lanam, sic comedet eos tinea.

VII.

Cœmiterium est loci religiosi spatium (Genus cum Forma & Efficiente innuitur) sepeliendis Christianorum cadaveribus (Finis & Materia indicatur) circum templa plerumque (Adjuncti character) præstitutum.

VIII.

RELIGIOSIS locis annumerantur Cœmiteria *arg. §. 9. l. de rer. Div. l. 44. ff. de relig. & sumpt. fun. l. 5. §. 8. ff. de donat. inter vir. & uxor. l. 4. §. 6. ff. ad L. Jul. de pecul. c. 70. aurum. c. 12. qv. 2. Renem. Jurisp. Rom. Germ. de Jure rerum Disp. 1. th. 16. 17. Struv. Ex. 15. th. 81.*

Hinc etiam ea quæ religiosis sepulturis adhærent, religiosa sunt *l. 43. ff. de Rei Vind. c. sicut 6. c. 17. qv. 4. (non obstante l. 4. §. 6. ff. ad L. Jul. pecul.)* ita ut vendi nequeant *l. 22. & l. 62. §. 1. ff. de contrah. empt. & vend.*

Etiam

COEMITERIORUM.

Etiam illud cœmiterii spatium est religiosum in quo sepultus est Servus, qui tamen aliàs nullam habet communionem cum Liberis hominibus *l. 2. pr. ff. de vel. & sumpt. fun.*

IX.

Apud Pontificios cœmiteria non tantùm Religiosa, sed etiam SACRA esse, *ex Besoldo asserit Casp. Manz. in comment. ad. §. 9. J. de R. D. n. 14.*

Certè si fides habenda est *Garsia Mastrillo* *decis. 22. n. 5.* cœmiterium judicatur adinstar Ecclesiæ, gaudetq; immunitate Ecclesiasticâ.

Olim etiam cœmiteria tanquam Tempia culta & vice Templorum fuisse, post Onuphrium Panvinium *de ritu sepeliendi* monet Joh. Steph. Durantus *de ritibus Eccles. Cathol. lib. 1. c. 33. n. 3.* Jac. Pontanus *in bellar. atticis parte I. Synt. 4. §. 10. p. 192. cum quo conferatur Job. Lud. de laCerdâ advers. sacr. c. 86. n. 10*

Quin etiam tam Christianorum quàm Gentilium templis originem dederunt cœmiteria aut sepulchra mortuorum. *Casp. Ziegler. ad Institut. jur. Canon. Lancelotti lib. 2. tit. 23. §. 6. p. 570* Quid ergò miremur, si etiamnum Tempia cœmiteriis proximè juncta reperiuntur?

X.

ORIGINEM COEMITERIORUM autem deducunt à catatumbis vel cryptis arenariis, quarum Parietinae adhuc in urbe Româ existunt.

Erant loca ubi Christiani corpora mortuorum unguentis delibuta deferebant, quæ posterioribus temporibus Cœmiteria dicta sunt, utpote viis subter terram fabricatis, quarum usus non modò humanis defunctorum corporibus (unde postea Nomen habuerunt,) sed etiam persecutionis tempore ad latebras Christianorum inserviebat. *Videatur Chokier in face hist. cent. 2. c. 87. p. 342.*

XI.

Ad CONSTITUTIONEM cœmiteriorum non sufficit privata autoritas sed requiritur Publica.

Olim Augures vel Pontifices *designabant* locum sepulturæ. *Romani antiquit. l. 5. c. 39.* Et etiamnum Magistratui, Ecclesiastico seu
Con-

DE JURE

Consistoriis cura incumbit, ut de loco sepulturis destinando prospiciat, *Carpz. Consist. lib. 2. de fin 385. n. 1.*

XII.

Canonistæ requirunt, ut cœmeteria per Episcopos ab aliis locis profanis purisq; (*vide l. 2. §. 4. ff. de relig. & sumt fun.*) separentur & **CONSECRENTUR** juxta *Templa. c. Ecclesias 1. c. 13. qv. 1. citante Petr. Greg. in Syntagm. Jur. Univ. lib. 2. c. 13. n. 3. p. 34. Ubi causam consecrationis in demonem rejicit, utpote qv̄i aliàs talia loca infestare & sua solitudine terribiliora reddere credatur.*

Apud nos verò non consecrantur cœmteria, autoritate tamen superioris hujusq; Magistratus Ecclesiastici *constituntur* & de iis disponitur. *Struv. in Synt. Jur. Civ. ex. 3. th. 72. p. 101.*

XIII.

Disquiri solet, unde desumendi sint **SUMPTUS AD FABRICAM ET CONSTITUTIONEM** cœmeterii: eos autem ex *Arario* Ecclesiæ desumendos, aut si facultates hujus non sufficiant, à Parochianis suppeditandos esse *svadet* *Carpz. Consist. lib. 2. de fin. 387. n. 6. & 8. & Ordinal. Eccl. art. gen. 32. verb.* Wo aber dasselbe füglich nicht geschehen könnte soll von den **ENGEWÄHNTE** / ob sie gleich nicht unter einer / sondern viel Herrschafften gefessen / eine gemeine Anlage zu solchen Baw gemacht werden: Darzu sie auch von *Ihren Erb. Herren* ernstlich und unweegerlich sollen gehalten werden.

Ratio hujus posterioris est, quia omnium *Parochianorum* agitur causa, quò scilicet cadavera eorum puro ac tuto loco reponantur. Si ergò hætenus *Lucrum* qualecunq; amplectuntur, *Onus* ei annexum contemnere nequeunt *l. un. §. 4. C. de caduc. tollend. confer. c. 55. de R. J. in 6to.*

XIV.

Quantquam aliàs **JURISDICTIO** in Ecclesiâ & cœmeteriis ad Episcopum & Consistoriales pertinet, tamen graviorum excessuum animadversio & supremâ *Meri Imperii* Jurisdictio *Secularibus* iudicibus apud nostrates committitur, prout liquet ex *ord. Eccles. Elect. Sax. sub tit. von beyden Consistoriis zu Leipzig und Wittenberg art. 10.* Denn ob sich wohl ihr *Erkännniß* auff Leib und Leben nicht erstrecket!

COEMITERIORUM.

streckt / welches den Gerichten der weltlichen Obrigkeit vorbehalten.
Carpz. Consist. lib. 2. de fin. 244. n. 10.

QV. hâc occasione, An in cœmiteriis causæ Sangvinariæ tra-
ctari aut Processus formari possint? utrumq; Negant Canonistæ:
illud sub pœna Anathematis *c. 5. extr. de immunitate Eccles.* hoc
sub pœnâ Nullitatis, quâ sententiam ibi fortè latam pro irritâ habêt.
c. 2. §. fin. de immunitate Eccles. in 6to. Excipiuntur tamen causæ Spi-
rituales & Ecclesiasticæ, de quibus sententiam in cœmiterio latam
validam esse dicunt Canonistæ, etsi in eâ ferendâ ipse etiam peccet
iudex Ecclesiasticus. *Casp. Ziegleri nota ad Lancelotti instit. Jur. Canon.
lib. 2. tit. 20. §. 3. p. 538.*

XV.

Locus cœmiterii talis eligendus est, in quo **CADAVERA
QVAM PRIMUM DISSOLVANTUR.**

Hinc commodissimæ & expetendæ conditionis est cœmite-
rium Pisanorum quod exanimata corpora spatio 24. horarum re-
solvit. *Ex Zeileri itineraio Gallie Dietherrus in addition. ad Besoldi thes.
pract. lit. K. n. 27. p. 467.* Sic ferunt quod terra in cœmiteriis S. Inno-
centii Parisiis intra novendium cadavera absumat. *Frölichij viator.
parte priori lib. 3. c. 21. p. 303.*

XVI.

Utrum Intra an vero Extra mœnia sepulchrorum series esse
debeat disquiritur.

Quibusdam in locis sunt civica sepulchra **EXTRA URBEM:**
quem morem nec prisca tempora improbant. Veteres enim in
viis publicis sepulchra sua erigebant, ut quilibet transiens posset,
titulos eorum quibus inscripti fuerant perlegere: Titulis verò
hisce sive inscriptionibus familia, ætas, conditio vitæ, res gestæ &
causa mortis continebantur. Principes verò in montibus aut ad
montium radices sepeliebantur: ut fortassis inde originem traxe-
rit consuetudo, quâ super cadavera aut Pyramides aut aliæ in-
gentes Columnæ collocarentur. *Rosin. Antiqu. lib. 5. c. 39. Alex. ab Alex.
gen. dier. lib. 3. c. 2. confer. Neitschisens Weltbeschauung lib. 3. cap. 11.
pag. 171.*

B

Cum

DE JURE

Cum verò in multis sepulchris columnæ erectæ extarent, fiebat, ut talium sepulchrorum pluralitate conjunctâ, mœnibus quasi cingeretur locus Religiosus, cui mox nomen & omen Cœmiterii attributum.

Apud Romanos non solum jure Consuetudinario sed etiam Expressâ lege XII. tabb. sancitum fuit, ne quisquam in urbe sepeliretur aut ureretur. Verba legis hæc sunt: IN URBE NE SEPELITO NEVE URITO! Vide *Rittershus. ad LL. XII. tabb. cl. 1. cap. 3.* Divi Hadriani rescriptum pœnam XL. aureorum (fisco inferendam) statuit in eos, qui in civitate sepeliunt: eandem multam, Magistratibus, qui id passi sunt, irrogat & locum publicari corpusque transferri jubet l. 3. §. 5. ff. de sepul. viol. *Chokier. in face histor. cent. 2. c. 87. adde l. 12. C. de relig. & sumt. fun. Carpzov. Consist. lib. 2. def. 385. n. 6. 7.* Rationes allegatarum legum ut & Consuetudinis adhuc inter Christianos receptæ sunt hæc:

1. Quia salus Publica mavult sepulchreta Extraria quam intra urbem. Ne, si mortui in civitate sepeliantur, ex putrescentium corporum vaporibus pestilens contagio oriatur, *arg. l. 1. §. 2. ff. de cloacis. Carpzov. Consistor. lib. 2. def. 385. n. 4.*

2. Ut Aër maneat (præprimis tempore pestis) purior. *Zeileri collectan. part. 2. cap. 5. pag. 177.*

3. Ut in urbibus Mundities servaretur, &

4. Christiani monerentur defunctos exiisse è mundo, relictaque hac Civitate, Cives in Cœlis factos esse. *Uti satis accommodatè loquitur Waremund. in meditant. de fœderibus parte 2. p. 56.*

5. Quia non solum in Veteri Testamento Abrahamus *Gen. 23. v. 19.* & Rahel *Gen. 35. v. 20.* sed etiam in Novo Testamento ipse Christus *Matt. 27. v. 60.* extra urbes tumulati sunt. Imò tempore Judæorum Extra civitates sepulchra habere, receptissimum fuit. *Hospinian. de orig. templ. lib. 3. c. 1.*

XVII.

Quibusdam vero in locis Cœmiteria IN CIVITATE constituta sunt. Ratio, ut quotidianus conspectus monumentorum posterios admoneat mortalitatis. *Petr. Gilkenius ad l. 2. in pr. C. de SS. Eccl.*

Hinc

COEMITERIORUM.

Hinc etiam *Leo in Nov. 53.* permittit, ut cuiq; tam Intra quam Extra civitatem sepelire liceat. Et quamvis hujus sanctio regulariter non est authentica *Cujac. lib. 17. Observ. 13. Johann. Gæddæus de contrah. stip. c. 6. concl. 7. n. 74.* tamen hoc loco quatenus convenit cum Jure Canonico & Saxonico toleranda omninò est.

Quod autem cœmeteria fuerint Intra mœnia, multis Exemplis, tam sacris 1. *Sam. 25, v. 1. 1. Reg. 2. v. 10. 2. Chron. 24, vers. 16.* Quam profanis probare possum. *Dio lib. 44. p. 267. a.* scriptum reliquit, C. J. Cæsari intra urbem & in ipso foro adornatum fuisse rogum. Sic & Hadrianus Imp. in urbe sub mole Hadriani (quæ hodie S. Angli Arx dicitur) sepultus fuit. *Cluveri epit. hist. lib. 8. p. 281. a. Micralij hist. polit. lib. 2. sect. 3. qu. 25. p. 364. pr. Confer quæ habet Bartoli in der beugnigamen Armutz c. 17. p. 629. de cineribus in columna Trajana Roma reconditis.*

Sed uti talia sapiunt aliquod Privilegium & singularis affectionis momentum: Ita, cum tandem illa in urbe sepeliendi licentia augeretur, non Passim sed tantum in Cœmeteriis concessa fuit. *Petr. Arodius rerum judicatar. lib. 6. tit. 9. c. 2*

XVIII.

Nulli Christiano cœmeterii commercium denegandum est; nisi specialis juris constitutione ab eo submovetur. Non minus enim Pœnæ species est, COEMITERIO PRIVARI, quam sepulturâ.

Hinc vix implenda esset voluntas ejus qui mandaret reliquias suas post mortem (v. g.) in mare potius abjici, quam in cœmeterio recondi *arg. l. 27. ff. de condit. institut. huic legi objicit Berneggerus ad Tacit. qu. 144. testamentum Francisci Draki ratihabutum in Anglia & decantatum ab Orvino lib. 2. epigr. 148. p. 41.* Submoventur autem à cœmeteriis nostris

1. PAGANI *c. Ecclesia 8. dist. 1.*
2. JUDÆI ET HÆRETICI (etiam post mortem damnati *c. sane profertur 6. cap. 24. qu. 2. c. si quis Episcop. 5. extr. de Hereticis*) *Clem. 1. de sepult. Confer Carpzov. Consist. lib. 2. def. 383. 384. ubi monet Catholicos, Calvinianos vel aliis sectis addictos in provinciis*

DE JURE

statuum Evangelicorum honestè sepeliendos esse, omissis licet vel temperatis saltem proratione circumstantiarum ceremoniis confvetis.

3. USURARIJ PUBLICI *c. quia in omnibus 3. & c. quanquam 2. de usuris in 6to.* Hinc cadaver manifesti Usurarii non in Cœmiteriò sed in alio loco citra omnem ceremoniam sepeliri debet: imò talis ex sepulchro, si illi in cœmiterio obtigit, evelli potest, secundum *Andr. Dalner. de jure hominis lib. 1. part. 14. n. 8.*

4. MORTEM SIBI CONSCISCENTIBUS ex Proposito, *c. placuit 12. c. 23. qv. 5. Hostiens. in summaris de sepult. n. 4. junct. l. 11. §. 3. ff. de his qui not. infam. l. 2. C. qui test. facere possunt.*

Non v. planè privandi sunt honestâ sepulturâ, qui ex Melancholiæ aliave animi impotentiâ mortem sibi inferunt. *Carpzov. Consist. lib. 2. def. 376.* Plane, inquam: Licet alias non omnes adhibentur ceremoniæ. *Struv. Ex. 15. th. 82. Richter. in l. 2. C. de testam. n. 75.*

5. EXCOMMUNICATI *c. sicut 8. de heret. in 6to.* adeò ut, si ossa excommunicatorum sint sepulta in Ecclesiastico cœmiterio & discerni possint, debeant exhumari & projici *c. 12. sacris. extr. de sepult.*

6. BLASPHEMI IMPOENITENTES *c. statuimus 2. extr. de maledicis.*

7. IN TORNEAMENTO MORIENTES *c. 1. & 2. extr. de torneament.*

8. RAPTORES NON SATISFACIENTES *c. super 2. extr. de Raptoribus.*

9. DIVINI VERBI ET SACRAMENTORUM CONTEMPTORES *Carpzov. Consist. lib. 2. def. 382.*

10. NOTORII ET INCORRIGIBILES PECCATORES *c. quibus 16. arg. c. quesitum 30. c. pro obeuntibus 21. causa 13. q. 2.*

Summatim Ecclesiastica sepultura deneganda est iis, qui extra communionem Ecclesiæ sunt, ut quibus non debemus communicare vivos, nec communicare mortuis *c. ex parte 11. & 4. sacris 12. extr. de sepult.*

COEMITERIORUM

II. PUNITORUM ULTIMO SUPPLICIO cadavera aliquando non debent sepeliri, idq; propter Emendationem alias peccaturi & ut Exemplum punitionis (v. g. in crimine læsæ Majestatis, Furti, Latrocinii, Sodomix, Sacrilegii &c.) evidentius extet, l. 28, §. pen. ff. de pœn. gl. in Weichbild art. 36. n. 7. und man begräbt/it.

In corpora enim taliter delinquentium scævire & executionem post mortem quoq; instituere licitum est, *Wesenb. parat. ff. de caduc. punit. ibiq; Habnii.*

Propter alia verò delicta punitos utiq; sepelire licet tum Honestatis causa, tum ob memoriam Humanæ conditionis, tum etiam ob symbolum Resurrectionis.

XIX.

HOSTIBUS SEPULTURAM denegandam non esse, tum sana Ratio, tum Exempla svadent.

Ratio hæc est, quia officium sepeliendi non tam Homini, i. e. personæ quam Humanitati i. e. naturæ & conditioni humanæ præstari dicitur. *Vide Grotium de J. B. & P. lib. 2. c. 19. §. 2. p. 306.*

Exemplum Davidis, qui ob sepulturam hosti Saulo non denegatam Jabitis benedixit, videri potest c. 2. v. 4. lib. 2. Regum. Rex Nicias exercitu iter faciens cum videret duorum militum cadavera inhumata esse, totum subsistere agmen, donec humarentur, jussit. *Alex. ab Alex. gen. diæ. lib. 3. c. 2. p. 116. a.* Hannibal juratus licet nomini Romano hostis, Flamini interfecti corpus ut sepulturæ mandaret, quæri jussit. *Tit. Livius & Valer. Max. lib. 5. c. 1. §. 6. extern.*

Sed jam quæri potest, num etiam HOSTIBUS JUS COEMITERII debeatur? Negantium sententiæ adstipulamur, certi, posse Hostes defunctos (sive sint Illustriores [sive Viliores, sive sint Pauciores sive Plures) etiam alibi quam intra hemispheriam coemiteriorum sine contumeliâ condi.

XX.

Quemadmodum ergò regulariter nemo à coemiterii commercio removetur, ita quoq; nemini licet defunctum EXTRA COEMITERIUM SEPELIRE c. 3. vers. qui vero relictus extr. de sepult.

B 3

pult.

DE JURE

pult. nisi accedat consensus superioris c. 2. vers. si quis de sepult. in 6to.

Sed quid si cumulata in cœmiterio cadavera injicerent metum Contagionis? Resp. huic malo aliter adhuc occurri potest, nimirum ut vel Profundiora fiant sepulchra quam trium aut duarum ulnarum, *vide Carpzov. Consist. lib. 2. def. 373. n. 12.* vel Calx viva iis inferatur, vel cœmiterium dilatetur vel etiam Novum planè constituatur. *Id. ibid. def. 386. n. 5.*

XXI.

Aliquando non fuit permissum Christianos IN ECCLESIA sepelire propter venerationem Martyrum ibidem existentium *l. 2. C. de SS. Eccles. Joh. Steph. Durand. de ritibus Eccles. lib. 1. C. 23. num. 5. Matth. Stephan. in disc. Acad. 15. Qui verò peccabant in d. l. 2. C. de SS. Eccles. extra ordinem puniebantur.*

Postea verò in Ecclesiis (Martyribus primùm solummodo destinatis) etiam alii sepeliri cœperunt *Pet. Gilkenius ad l. 2. pr. C. de SS. Eccles. Bellarminus lib. ult. de purg. c. ult. Besold. tract. de sepult. c. 2. p. 87. Knipschild de civit. Imper. lib. 5. c. 20. n. 22.* Ita ut Hodie lex & pœna in desuetudinem abierint, atq; in Concilio Moguntiaco *l. can. 52.* ita constitutum sit; ut Episcopi, Abbates, aut digni Presbyteri vel fideles Laici intra Ecclesiam possint sepeliri *c. 18. nullus 13. qv. 2. Laicostamen Concilium Varense à templis arcet c. 15. precipiendum & c. 16. qvibus ca. 13. qv. 2. & quidem ideò, quia ibi non solum Corpus & sanguis Domini conficitur, sed quia etiam inde sæpius Miracula accidere potuerunt. Gregorius Magnus lib. 4. dialog. c. 53.*

Sed uti aliàs legem vincit Consuetudo *c. ult. ext. de consuetud. l. 32. ff. de Leg.* ita quoq; canonem Varensem vincit. ita ut instinctu Consuetudinis (*non facile aliàs immutanda l. 31. §. 20. ff. de adil. edict. l. ult. C. de fidejuss.*) non solum in atrio templorum, sed in eorundem quasi conclavibus condantur Laici.

Ratio autem cur apud Christianos Illustribus vel honoratioribus personis hac in re prærogativæ quid concedatur, est in promptu: Fit hoc tum propter dignitatem, famam & securitatem, ne forsitan ab improbis cadavera effoderentur, tum etiam ut magnificen-

ficen-

COEMITERIORUM.

ficentius (*de quo vide Carpz. Consist. lib. 2. defin. 392. n. 12.*) humentur. quoniam bonis Vilis sepultura non obest, nec malis Speciosa prodest. *c. 12. ext. de sepult.* Aliam rationem tradit Gerhard. *Tom. Theol. 8. c. 7. §. 88.* ut nimirum Pontificii hac ratione Vigiliarum & Missarum & Anniversariorum quæstum adaugeant.

XXII.

MUNDATUM & mœnibus CINCTUM cœmeterium haberi Relegio loci svadet; ne quid dicam, quod talia dormitoria, si sepimentis destituuntur, nimiam patefcunt Bestis cadavera devorare adsvetis.

Operæ pretium est recitare piam prudentemq; sanctionem *Ordinar. Eccles. Elect. Sax. in art. gen. 15. 3:* auff daß auch die Kirchhöfe allenthalben/ und sonderlich auff den Dörffern/ da sich Pfarrer oder Glöckner dero darauff wachsenden Gräferen gemeiniglich gebrauchen/ ehrlich und R.E.Z.N./als ein Schlafhaus der Christen gehalten werden/ so sollen dieselben mit Mæuren / Plancken / Zäunen und Thüren verwahret/ und vorm Vieh allenthalben mit fleiß vermachet werden.

Singularia mœnia videas Parisiis ad D. Innocentii: illa enim collecta sunt non ex lapidibus sed ex mortuorum ossibus, ut testes sint lanienæ Parisiensis perpetratæ A. C. 1572. festo Batholomæi. *Dietherrus in addition. ad Besoldi thes. præct. litt. K. n. 27. p. 466.*

XXIII.

MORTUI in sepulturis NONSUNT TURBANDINEQVE RESEPELIENDI sine autoritate publica Imperiali seu Pontificali *gl. ad l. 8. l. 39. ff. de vel. & sumpt. fun. & ad. l. 1. & pen. C. eod.* Hinc olim narratur orta seditio, quod Macedonius Arrianus cadaver Constantini Magni Imper. transtulisset *Gr. Tholos. Synt. Jur. Univ. lib. 2. c. 14. n. 2.* Herodotus etiam culpatur hoc in Cambyse, quod vetusta aperuerit sepulchra & conspexerit in illis jacentia cadavera mortuorum. *Georg. Pistorius Villinganus de materia demon. fol. 20.* inquit: videant ergo quis furor hos divexet, qui sacra, ubi Spiritus Sancti requiescunt organa, cœmeteria prophanant, & ibi sepulcorum ossa in cibum parant *Zazelo dæmoni cujus lib. 3. Regum mentio habetur, ex Besoldo de sepult. c. 2. §. 3. p. 86.*

Maxi-

DE JURE

Maximis contra laudibus Carolus V. dignus est, qui permittere noluit ut cadaver B. Martini Lutheri effoderetur. Non gero, inqviens, bellum cum mortuis, requiescat usq; ad iudicium extremum. *Sauers Ståtebuch sub Wittenberg pag. 178. Burgoldens. notit. Imper. part. 1. dis. 1. §. 25. p. 20.*

XXIV.

Disqvi hoc loco posset an excusandus veniat DARIUS qui ob hanc monumenti Semiramidis inscriptionem (*Quicumq; ex Regibus pecunia inopiam senserit conditorio recluso sumat inde, quicquid visum fuerit*) sepulchrum recludi iussit. Nullam tamen in eo pecuniam invenit, sed incidit potius in has literas: Nisi malus vir fores & pecunia infatiabilis, non utiq; mortuorum loculos moveres. *Rhedigini antiq. lection. lib. 23. c. 5. p. 883. 4.*

XXV.

Si cœmeterium REPLETUM EST cadaveribus, tunc Ager Hortusve proximus (si modo sterilem & Viventibus non adeo profuturam terram continet *Carpz. Consist. lib. 2. def. 386. n. 8. ex LL. XII. Fabb.*) AD DILATANDUM emi debet, sed iusto pretio refuso. *Idem ibid. def. 388. n. 1. 2. confer exempl. ex historiâ Angliæ apud Guil. Neubrig. lib. 1. hist. c. 1.*

Sed quid si Possessor nollet vendere fundum? tunc cogi potest à Magistratu, ut iusto prætio usui publico vendat. *vide Carpz. d. l. def. 388. n. 4. & 7. seqq. ubi Objj & Resp. suppeditat.*

XXVI

De Sepulchris dicitur, ea IN NOSTRO DOMINIO NON ESSE *l. 1. ff. si serv. vind. l. 4. pr. ff. de aqua & aqua pluvi. are. quia in nullius bonis sunt §. 7. l. de rer. divisione idem dicimus de Cœmeteriis.*

Sepulchra tamen Quasi quodammodo nostra sunt. Sic sepulchrum quod est in fundo meo, non Proprietatis sed Quasi proprietatis jure meum est *Borchold. Comment. ad pr. l. de interd. n. 12.*

XXVII.

Improbanda non est consuetudo priscis temporibus introducta, qua sepulchris mortuorum LAPIDES SEPULCHRALES imponuntur, aut ibidem Cenotaphia eriguntur *vide l. 42. & l. 6. §. 1.*

ff. de

COEMITERIORUM.

ff. de rel. & sumpt. fun. & Arel. Prudent. cathemerinon hym. 10. de exequiis defunctorum c. 53. seqq. quæ constant vel ex scripturis (in quibus facta, vita, parentes & mortes tumulorum narrantur) vel ex Picturarum & Sculpturarum figuris.

Talia autem plerumq; adornantur vel in sacellis templorum in den Capellen & Peristyliis in den Kreißgängen vel etiam ad Mœnia cœmiteriorum. Sic antehac Lipsienses in cœmiterio ad D. Johannis magna cura sumptibusq; suos sepulchrales Fornices oder Schwibbögen zu den Begräbnissen posuisse testis est *Antonius Carpz. aecis. 289. n. 7.* Ob illos artificiosissime elaboratos fornices cœmiterium illud Johanniticum in totâ Europa sine pari fuit *D. Tob. Heidenreich in der Leipzischen Chronica citatus à Zeilero in Manuali part. 2. p. 498.*

Modum tamen ut alibi sic etiam in ejusmodi Ornamentis observandum esse, innuit *l. 14. §. 15. ff. de rel. & sumpt. fun. Carpz. Consist. lib. 2. def. 392. n. 15.*

Quomodo sua sepulchra exornaverint Romani, dicit *Rossinus in antiquit lib. 5. c. 39. p. 996.*

XXVIII.

Licetum est IN ALTERIUS PAROCHIAE COEMITERIO SEPULCHRUM eligere *c. 1. 3. 10. extr. de sepult.* Nam unusquisq; habet liberam facultatem sepulturam eligendi, & si quis non eligat in Parochiali Ecclesia aut Majorum sepulchris est sepeliendus. *Lancelott. lib. 2. Inst. Jur. Canon. tit. 24. §. 2.*

Si quis tamen alterius Parochiae cœmiterium appetit, eligere debet locum communem non Specialem & jam dum aliis deputatum *Carpz. Consist. lib. 2. def. 393. n. 3.* Adde quod etiam salva esse debeat *Quarta pars* parochiali Ecclesiae debita *c. 4. 8. 9. & 10. extr. de sepult. Tholos. Synt. Jur. Univ. lib. 2. c. 13. n. 6. p. 35.* quæ tamen *Quarta paræcialis & Canonica* variat, adeoq; secundum Consuetudinem definienda est *c. 9. extr. de sepult.*

XXIX.

Alioquin rejicitur VENDITIO SEPULTURÆ, neq; Pecuniam licet exigere ut quis in cœmiterio communi sepulturam habeat.

C

Detec-

DE JURE

Detestantur enim Canones eos qui pro sepeliendis in templo vel cœmiterio cadaveribus aut pro exequiis Pecuniam efflagitant. *c. 12. & 15. ca. 13. qv. 2. & c. 3. extr. de sepult.* Ratio est, ne aut venalis fortasse dicatur Ecclesia, aut Homines de humanis videantur moribus gratulari.

Et hoc ipsum utiq; usu obtinet in publicis cœmiteriorum locis ad Communem sepulturam destinatis; sed pro sepultura in ædibus sacris aut porticibus Templo vicinis concessa, item ratione sepulchrorum Familiarium vel Hereditariorum (*Erb-begräbnisse*) in cœmiterio assignatorum ac fornicibus distinctorum Honorarium exigi potest. *Struv. ex. 15. th. 81.*

Hoc tamen pretium non quasi ex debito efflagitandum *c. gratia. 1. ca. 1. qv. 2.* sed potius liberalitati ac pudori cujusvis remittendum esse monet *Zabarel. ad c. 13. extr. de sepult.* quæ occasione applicari potest illud Ulpiniani: Quædam honeste Accipiuntur, quæ inhoneste tamen Petuntur *l. 1. §. 5. ff. de extraord. cognit. c. non sane 15. ca. 14. qv. 5.*

Quæ vero propter sepulturam more satis rationabili soluta sunt, debent ad Ecclesiæ vel Cœmiteriorum conservationem impendi. *Panorm. in c. 1. extr. de Simon. Martin Gilbert in addit. Anton. Cucchi instit. Jur. Canon. lib. 4. tit. 2. de Simon: §. incidit autem in hoc crimen.*

XXX.

In cœmiteriis dantur loca sepulchrorum PROMISCUA, dantur etiam SPECIALIA, separata & addita v. c. Puerperis aut certis vel Familiis vel Heredibus. *Vide descriptiones in L. 5. ff. de relig. & sumt. fun. L. 13. C. eod.*

In FAMILIARI sepulchro jus sepulturæ extenditur ad Agnatos (i. e. per lineam Masculinam devolutos & multiplicatos *§. 1. l. de legit. agnat. tut.*) & Heredes eorum etiam extraneos & in minimâ parte institutos *L. 6. pr. ff. de relig. & sumt. fun*; non verò ad Affines & Cognatos in specie; nisi fuerint Heredes instituti *l. 8. C. de relig. & sumt. fun.* quod requisitum in Agnatis non attenditur. Præterea sepulchri Familiaris jus Omnibus heredibus accedit, nec per divisionem ad Unum redigitur *L. 4. C. eodem.* In

COEMITERIORUM.

In HEREDITARIO sepulchro soli Heredes (non tamen refert an sint Extranei L. 5. & 6. ff. eod. Brunnem. ad L. 8. C. de relig. & sumt. fun.) sepeliuntur. Ex quo sequitur, quod Extraneus invitis heredibus ibi sepeliri nequeat. L. 2. §. 1. L. 7. ff. de relig. & sumt. fun. ubi mentio fit Actionis in factum. Carpzov. Consistor. lib. 2. def. 393. n. 1. 2.

COROLLARIA.

1.

Jura Civilia VIGILANTIUS sunt scripta l. 24. in §. ff. quæ in fraudem cred. sed numquid etiam NOCTUAMBULONIBUS deß Schlaf-gängern possunt applicari? Affir. vid. Jacob. Andr. Crusium de nocturnis offic. c. 18. n. 8. p. 339.

2.

Dantur multa negotia quæ nunquam à PRINCIPALI expedi-
diri possunt, bene tamen à MINISTERIALI persona Expl. est apud
Spreng. in Lucern. Imper. c. 1. p. 77. de Abbatibus.

3.

Si quis CHRISTUM instituisse heredem vel legatum ei reli-
quisset, quis capit hereditatem? Pauperes vel Ecclesia ejus loci in
quo testator domicilium habuit. Nov. 131. c. 9. & ibid. Rittershus.

4.

Non concidit Testamentum, etiamsi quidam TESTES ante
aperitas tabulas vitâ exceßerint arg. l. 85. §. 1. ff. de R. J. & c. 73. de
R. J. in oto.

5.

Libertos ingratos in Servitutem rejectos esse, apud nullum
Ictum legitur, verba sunt Fr. Connani lib. 2. Jur. Civil. c. 7. n. 4. p. 156.

6.

An Ulpiani toties totiesq; oppugnata verba (Jus Naturale est
quod natura OMNIA ANIMALIA docuit l. 1. §. 1. ff. de J. & J.)
propugnari possunt per illa hymni sacri verba: Cognovit BOS ET
ASINUS, quod puer erat Dominus? Neg. Vide Dilherri electa lib. 2.
c. 15. p. 254.

S. D. G.

Dum

Dum ponis nobis tentamina publica SCHREITER
Conatum grator, præmia larga feras.

Quirinus Schacher / D. Consil. Elect.
Sax. ab Appellat.

Qvæ, SCHREITERE, nigri pro nunc tibi cura
Sepulchri?
Vitam intendentem mors quid & ipsa juvat?
Ergone Tu tenebris scripsisti JURA SEPULCHRI
COMMUNIS; luci debita jura novæ?
Scilicet & tenebris potis es clarescere. Noctes
Plus Studiis profunt, quam vel amoena Dies!

Barthol. Leonhard. Svendendörffer. D.
P. P. & Facultatis Jurid. Assessor.

Nicht wil fast iederman vom Fürsten-Hofe schreiben;
HERN SCHREITER aber läßt bey Kirch-
Hoffs; Sägen bleiben.
Warumb? der Fürsten-Hoff spielt offte nur mit dem
Schein;
Der Hoff der Kirchen weist / was wir Rechtschaffen
seyn.

gefekt
mit
glückwünschender Feder
des

P R Æ S I D I S,

* * *

00 A 6335

ULB Halle 3
002 919 478



Vb 17

Zitro ✓







ii

Jesu Salvatore Annuente
&
Nobilissimo Jctorum Ordine
consentiente

de

J U R E
COEMITERIORUM

PRÆSIDE
FRIDR. GEISLERO, Reussendorff-Silesio
Phil. & J. U. D. Major. Princip. Coll. Collegiato
& p. t. Præposito
Præceptore officiosè redamando,

publicè
die 14. Octobr. 1669.
H. L. Q. C.
disputabit
JOHANNES Schreiter Annamont. Misn.
Autor & Respondens.

LIPSIAE
Typis JOHANNIS GEORGI.